JUSTÆ VINDICIÆ
&
Summa Armorum Justitia
Ex Parte
Sac^{ae} Reg^{ae} Mt^{tis} Poloniarum,
juxta obligationem Pactorum Conventorum,
præstitumq; Reipublicæ Iuramentum,
contra
Serenissimum Regem
& Coronam Sveciæ,
ratione
ruptæ toties Pacis Perpetuæ,
violatorum Pactorum Olivensium,
necnon
novissimæ exagitationis
& offensionis
Serenissimi Regis Daniæ
& Norvegiæ,
Perpetui Fæderati Regni Poloniæ;
ac
Copiarum Regiarum aggressionis
MANIFESTANTUR.
Anno
Vindicatæ Salutis Æternæ
M DCC.



Primis Regni Poloniæ liberis inclytæ Gentis ſuffragijs ſibi delati, auſpicijs, Sacra Regia Majeſtas, cùm internam tranquillitatem, tùm ab extra illibatam cum Vicinis bonæ Amicitiæ, mutuæ ſecuritatis, & Pactorum Fæderum, obſervantiam, inter ſanctiores repoſuit curas, nihilq; magis in votis habuit, quàm inter virentes & floridas Almæ Pacis oleas perennem Reipublicæ ſpectare felicitatem, & pulcherrimum in dies efflorefcentis Polonæ Libertatis fovere vigorem viroremq;, ac fines Regni hujus non tàm gladio, quàm juſtitiâ terminare. Hunc in finem, compoſitis turbidi Interregni diſſidijs, reductâ publicâ Statûs confidentiâ, Ottomanicâ Porthâ, ſolâ armorum oſtentatione, & validi Exercitûs robore, ad deponendum bellum compulsâ, Pace Domi Foriſq; partâ, ac gloriosè prolatis Regni terminis, recenter obortô Negotiô Elbingenſi per Amicos Tractatus cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico ſopitô, nihil aliud Sacra Regia Majeſtas intendebat, quàm altâ frui quiete, & tota Chriſtianitate in gremio Pacis recumbente, eâdem dulcedine otij Gentes ſibi à DEO commiſſas, poſt tot triſtia & incommoda ſolari.

Sed longè aliter evenit, abrupti ſucceſſus, eluſæ ſpes, vota ad irritum redacta, dum Paci ſemper adverſus infeſtuſq; Svecorum animus, rupto ſæpiùs Fædere Olivenſi, fractâ Pace perpetuâ, luculentiſquè apertæ hoſtilitatis contra Rempublicam indicijs toties teſtatis, noviſſimè, per temerè erecta munimenta in Ducatu Holſatiæ, & ſuperimmiſſas copias Sveticas, Sereniſſimo Rege Daniæ & Norvegiæ Perpetuo Fæderato Regni Poloniæ enormiter offenſo, & per hoc mutuo Fædere Anni 1657, tùm & anteactis Confæderationibus Anni 1563, Anni 1564, & Anni 1565, læſis, ac innocenti copiarum Sacæ Reæ Mattis, circa inſtaurationem Portûs in Połonga deſudantium, infra expreſſa impetitione, vel invitam Sacm Regm Majeſtatem Poloniæ ſtrinxit & provocavit, ad ſubitò capienda arma & antevertenda ea mala, quibus Corona Sveciæ retroactis Annis, violatâ ſacrâ Pactorum & Induciarum Religione, poſtpoſitis Divinis humaniſq; Iuribus, ex improviſo præventam, & nihil ſimile metuentem, afflixit Poloniam, Regnumquè iſtud, antiquum totius Chriſtianitatis antemurale graviter concuſſit.

Nondùm memoriam deterſit oblivio, olim Ericum Svecorum Regem, non attentis vinculis Pactorum & neceſſitudinis, primùm Livoniam invaſiſſe, & per pro-

ditio-

ditionem ac fraudem Ducis Mekelburgici Coadjutoris Archi-Episcopi Rigensis, Revaliam cum Esthonia violenter intercepisse. Nota publicarum cladium, & irruptionum, in vlteriorem Livoniam nomina in Anno 1601 per Carolum Ducem Sudermaniæ, quandò non tantùm pulsus è solo & solio legitimus Regni Sveciæ Rex & Hæres Sigismundus III, Divæ memoriæ Rex Poloniæ, sed & Regiones Reipublicæ infestatæ, insessæ Vrbes & occupatæ; sciunt sæcula innocentes Polonos, & nihil minùs quàm Svecorum arma meditantes, fidentesq; stantibus adhuc Inducijs pro Livonia stabilitis in Anno 1617, & 1621., nullius culpæ conscios, insuper molem belli Svetici, apud memoratum Divæ memoriæ Sigismundum III. Regem Poloniæ deprecantes, inopinatâ hostili invasione à Gustavo Adolpho priùs in Livonia, demùm in Prussia, turbatos, eo ipso tempore, quô Poloni, contra immanissimum sui & Christiani Nominis hostem ad Chocimum cruento prælio decertabant.

Manet, mansuraq; est in animis & memoria hominum attentata per Carolum Gustavum Regem Sveciæ, abruptis viginti-sexennalibus Inducijs, non attentâ Pace Westphalicâ Poloniam comprehendente, invasio, tantò atrocior, quantò sæpiùs geminatâ perfidiâ, justô Orbis judiciô, vti si-

 ne

ne vlla juſta & legitima cauſa poſt remotos à Sceptro Svetico, & jam extorres factos legitimos Principes alieno in Orbe viventes, improbata fuit. Hoc demùm ſupererat, vt non contentus erepto Regno Sveciæ, exhauſtis latè Provincijs Polonis, ſpoliatis per licentiam & rapinam militum Ditionibus & Terris Regni hujus, fuſo prodigè innocenti ſangvine, tumidâ ſpe vniverſam devoraret Poloniam: inundatam protunc belli calamitatibus, & velut vniverſali diluvio ſuperfuſis armis Moſchorum, Koſacorum, perfidi Tranſylvani, & quod vſpiam ex vicino circumſitarum Gentium conjurato odio, in perniciem Poloniæ conſpiraverat. Et certè in vltimum præcipitaſſet interitum, niſi Divina adſtitiſſet protectio, & propinquo ruentis Poloniæ commota periculo vicina Auſtria (quæ Cælum pietate, Orbem Germanicum Imperiô poſſidet) collapſas res Polonas, ſubmiſsô juſtô numerô Exercitûs, refeciſſet, & illum torrentem effuſæ potentiæ Sveticæ opportuna rebus Poloniæ Danica diverſio per Magnanimum Principem Fridericum III. Daniæ & Norvegiæ Regem, ex vi initæ Colligationis avertiſſet, vireſq; Svecorum diſtraxiſſet. Res ſanè miſeranda & ipſis Barbaris videbatur, movitq; deplorata illa Regni Poloniæ conditio Machometum Gereium Hanum Tartaro-

taro-

tarorum Crimensium, vt non sine gemitu quispiam super advocata ab ipso, in illa suprema necessitate, per Polonos auxilia, protulerit: Quos mali Christiani oppugnabant, hos boni infideles defenderent.

Sed hæc omnia jam præterlapsa, illorum temporum loqvuntur Annales, nova ad præsens calamitas trudit antiquæ memoriam, & eò grandior injuriarum atrocitas ex sequentibus resultat annis; quandò post stabilitam operosâ Christianissimi Regis Galliarum Mediatione, Pacem Olivensem, & tanto Reipublicæ cum dispendio in favorem stabilis Amicitiæ conclusam, fædifraga semper & suspecta Svecorum amicitia, frequentati hostiles actus & conatus, rupta quies populis, pertentata insidiosa molimina, & graves machinationes veniunt in lucem, ac res transactas velut in speculo eventus repræsentat: vt in aperto sit Sac^m^ Reg^m^ Majestatem Poloniæ, quem justus in hostem fert dolor, quem Vltorem & Assertorem publica exposcit vindicta, summæ inniti justitiæ, atq; nupero armorum suorum in Livonia repentino progressu, contra Aggressores Sveticos, Ruptores Pacis perpetuæ, justè & legitimè processisse. Non jam ringatur invidiâ, aut tetricâ Malevolorum impressione aliorum inducat stuporem; &, si quæ adversa finguntur, spargat in vulgus: Nemo

 enim

enim poteſt, niſi cognitâ causâ, Ius & injuriam diſcernere, quodſi quiſpiam juſtas neceſſarij belli rationes maturô judicio expendat, facilè cognoſcet, nullam partem juſtitiæ ab hoc inſtituto Sac[æ] Reg[æ] Majeſtatis alienam eſſe, nec tantùm ſpei in armis Sac[m] Reg[m] Majeſtatem repoſuiſſe, vt mente exciderit æquitas cauſæ; quinimò, cùm ex Pactis Olivenſibus ſæpiùs à Svecis violatis, & illa hoſtili in Marchiam Brandeburgenſem, contrà eadem Pacta Olivenſia (quæ Sereniſſimum Electorem pariter complectuntur) in Anno 1675 facta irruptione, penitùs labefactatis, nullum Reipublicæ præſidium viderit: planè confidere Sac[m] Reg[m] Majeſtatem Divinæ Clementiæ, quòd juſtam de hoſte repetet vltionem, & his, qui oderunt Pacem, retribuet: à quo ſtat Ius, ab eo DEVS.

Porrò, vt omnia Svetica attentata contra memorata Pacta Olivenſia, toti Mundo, & præprimis, Generalem Guarrantiam ſuſtinentibus Principibus, & ipſi Reipublicæ Polonæ, pro pleniori rerum notitia, tantoq́; majori in proximè futuris Comitijs belli proſequendi, curâ & zelô, pateant; placet ſeriem horum omnium exprimere, & inprimis juxta Tabulas Perpetuæ Pacis, Articuloſq́; in Inſtrumento Olivenſi poſitos, annotare.

Pax Olivenſis, provt illo tempore coalu-

aluit (quò vndiq; pressi Poloni, & longâ à diversis Hostibus armorum tempestate jactati & quassati, ab vlteriori belli ferendi onere abhorrebant, recolligendisq; viribus suis aliquod vovebant respirium) ita hôc vnô surrexit fundamento, vt vera sinceraq; esset amicitia, priscâ Polonâ fide & candore, post tot damna & cædes, funditusq; devastatum Regnum suum, nihil amplius exigente, vti edocet.

Articulus I.

SIt Pax Vniversalis, & perpetua, & vera sinceraq; Amicitia inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ioannem Casimirum *Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ &c. &c ejusq; Regiæ Majestatis Successores, ac Posteros Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithvaniæ, atq; subjectas illis ditiones & Provincias, atq; ejusdem Majestatis & Regni Poloniæ Confæderatos. Inprimis Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum* LEOPOLDVM ElectumRomanorũImperatorem

ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c.&c.&c, ejusq; Majeſtatis Hæredes ac Succeſſores, Provincias ac Ditiones, intra, vel extra Imperium Romanum ſitas; & Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum Vilhelmum *Marchionem Brandeburgenſem, S. R. I. Principem Electorem & Archi-Camerarium Magdeburgi, Pruſſiæ &c. &c. &c. Ducem, ejusq; Serenitatis Hæredes ac Succeſſores, Provincias ac Ditiones, in, vel extra Imperium Romanum ſitas, ab vna: Atq; Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem, ac Dominum, Dominum* Carolum *Svecorum, Gottorum & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c.&c. &c. ejusq; Majeſtatis Succeſſores ac Poſteros Reges Svecorum, Regnumq; Sveciæ, atq; ſubjectas illi, intra, vel extra Imperium Ditiones ac Provin-*

cias

cias ab altera Parte; ita, vt altera Pars alteri posthac nihil hostilitatis aut inimicitiæ, clàm aut palàm, directè vel indirectè inferat, vel per suos, aut per alios inferri faciat, nec alterius hostibus auxilia quocunq; nomine præstet, nec cum alterius hostibus Fædera huic Paci contraria ineat, nec quidquam in alterius Statûs & securitatis diminutionem per se vel per alios moliatur, aut tentet, vel tentari faciat, sed vtraq; Pars alterius vtilitatem, honorem, ac commodum promoveat, & fidam invicem vicinitatem, Pacem & amicitiam seriò colat ac servet. Pacta verò & Fædera omnia, quæ Partes paciscentes inter se, vel cum alijs Principibus ac Statibus vtrinq; sancita habent, quò ad omnia sua Puncta, Clausulas, & Articulos integra, & in pleno robore suo permaneant, ita tamen, vt per ea præsens transactio Pacis nullum præjudicium patiatur.

NOndum vulnera obduxit cicatrix, necdum vnius Anni elapsum spatium ab actu conclusæ Pacis, & dum recens reverentia Pactorum & sanctitas Fæderum obversabatur, jam immemor præmissorum Svecia, quævis conservandæ Pacis antidota in toxicum convertit; quando infestum liberæ Polonorum Regum Electioni, in eversionem Statûs & Legum Cardinalium, per Legatum suum Comitem Todt, certum compilavit Fædus, & defactò in Anno 1661 fidem obstrinxit, authoraturos Svecos duodecem Millium Exercitum, ad asserendam, & opprimendam armis liberam in Polonia Electionem. Quis crederet vnquam Svecos, projectâ recentium Fæderum religione, talia præsumpsisse? vt contra Prærogativam liberæ Gentis Polonæ, in hoc Libertatis fastigio constitutæ, impio & fædifrago ausu conspiraverint, atq; in debellatis animis Absoluti Sceptri potentiam fundare voluerint? Hunc primum sinceræ ac fidæ amicitiæ produxit Svecia fructum, quem furor, odium & invidia procudit: acsi parum fuisset vibratô ferrô, viscera Poloniæ scrutata, cædibus omnia profanata, Domus Nobilium, & vitâ cariores DEI Immortalis & Sanctorum Aras exspoliatas fuisse; nisi illa quoq; principalis & maxima ab omni ævo coæva Polonorum Libertas, verè Pupilla, DEVM

ipsum

ipsum Tutorem habens, à Svecis subrueretur, & proculcato Nobilitatis Iure ac decore, liberis cervicibus grave servitutis jugum imponeretur: *Accipe Posteritas, quod post tua sæcula narres!* Hæc erant molimina Svecorum, hæc rota magnarum cogitationum, quô suô facinore satis ostenderant, quomodò erga liberrimum ab omni ævo Poloniæ Regnum propenderent. Erupit rursus celatum virus pectore, & depositâ simulatæ Amicitiæ larvâ, extrema præsumpsit Svecorum malignitas, dùm post intentata pluries Illustrissimo Duci Curlandiæ & Semigalliæ, Vasallo Sac^{æ} Reg^{æ} Majestatis & Reipublicæ, pericula, illata damna intolerabilia, graves angarizationes & oppressiones (respectu quarum repetitæ supplices querimoniæ ad Thronum Antecessorum S^{æ} R^{æ} Maiestatis deferebantur) eò demùm processit, vt sublato omni Pactorum Olivensium respectu, hostili modo, armatâ, classe, milite & tormentis bellicis instructâ, Portum & Littora Ducatûs Curlandiæ (qui est hæreditas Reipublicæ) violenter invaserit, & nullo facinorum suorum tacta rubore, Naves Curlandicas cum enormi damno Illustrissimi Ducis, & longè graviori præjudicio Reipublicæ interceperit, & distractâ protunc Poloniâ bello Turcico, ex vi Sacri Fæderis, impunè Curlandiam infestaverit, liberum vsum Maris Balthici,

ad ſupremum Reipublicæ Dominium, & Ius Majeſtatis, pari cum alijs Vicinis Iure ſpectantem negaverit, eâdemq; violentiâ, Naves Nobilium, latrocinium maris pro gloria habendo, plurimis vicibus rapuerit, & tanquàm prædam ac ſpolium abſtulerit. Quô ſuô nefariô progreſſu, palàm & directè hoſtilitatem contra Rempublicam attentavit, Pacemq; Perpetuam Olivenſem violavit. Indigna, Dij boni! & quæ cælo teſte fierent; & quæ Poſterorum memoriæ relinquerentur! Super gravem illum caſum ſenſibili motus alteratione Sereniſſimus IOANNES III. Rex Poloniæ, compellavit eô nomine Sereniſſimum Regem Sveciæ, & indignitatem rei, manifeſtamquè rupturam Pactorum exprobravit; ſed nulla tunc à Rege Sveciæ data ſatisfactio, multominùs naves reſtitutæ, & Polonis bellô Ottomanicô implicatis, queri tum magis injuriam, quàm vlciſci, & vim vi reprimere, illa tempora permittebant. Quis autem non concedet illam aggreſſionem apertam fuiſſe hoſtilitatem? Hoſtes enim non ſolùm æſtimantur, qui jam navali aut terreſtri præliô pugnam incipiunt, ſed pro talibus habendi, qui machinas admovent Portubus aut mænijs. Quis non videt hoc vnum Sveciam ſemper intendiſſe, quod Majores ejus tot iam volventibus annis pertentabant, vt Balthicum Mare ſui Iu-

ris

ris faceret ? Volvebat hæc animo Gustavus Adolphus, agitabant Posteri eius, & iam singulis annis armatam classem ad littora Curlandiæ transmittebant, non sinè horrore & evidenti discrimine totius Curlandiæ & Semigalliæ, præsertim à tam periculoso vicino, qui libertatem dominandi, & latè regnandi cupiditatem omni Iuri semper anteposuit: *Nec facilè est pacatam degere vitam, qui violat factis communia Fœdera Pacis.* Sequitur nunc

Articulus II.

SIt vtrinq; perpetua oblivio & Amnestia eorum omnium, quæ quocunq; modo locoq;, ac quacunq; Paciscentium Parte hactenus hostiliter facta sunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei causâ vel prætextu, vlla pars alteri posthac quidquam hostilitatis aut inimicitiæ, specie Iuris aut viâ facti, inferat, aut per suos, aliosve inferri faciat. Hâc Generali Amnestiâ gaudeant omnes & singuli, cujuscunq; Statûs, Conditionis & Religionis fuerint, vt & omnes Commu-

nitates, quæ ab vtrinq; Partes hostiles secutæ sunt, aut in hostilem possessionem devenerunt, nec vllis hoc bellum præjudicio & noxæ sit, suis Iuribus Privilegijs ac Consvetudinibus Generalibus & Specialibus, tam in Ecclesiasticis, quàm in Civilibus Profanisvè, quibus ante hoc bellum gavisi sunt, sed ijs in totum fruantur secundùm Leges Regni &c.



QVanta damna sub tempus Sveticæ Invasionis perpessa fuerit Polonia, nullô vnquam pretiô æstimanda; toti palàm constat Orbi: Quæ enim Provincia? quæ Regiones erant? nisi cruentæ, expilatæ, & devastatæ: cum Gladiatores toto Orbe collecti, cædibus & incendiis vbiq; grassando, cuncta ad summam solitudinem redegissent, vt tàm ingentes ruinæ & detrimenta satius defleri, quàm compensari potuissent, in pignus nihilominus duraturæ Amicitiæ data sunt perpetuæ oblivioni, & æviternæ insepulta Amnestiæ, hâc solâ expressis verbis præcautâ indemnitate, vt omnis Iurium, Libertatum & Privilegiorum prærogativa etiam iis inviolata servaretur, qui in hostilem possessionem, cogente durâ illâ temporum

porum & Fatorum neceſſitate , devenerunt : Non poterant enim Livones Indigenæ Regni, in abſolutam tradi ſervitutem, qui cùm anteactis ſæculis pulchrâ Libertate vigerent, tùm circa ſpontaneum ad Rempublicam Polonam acceſſum in Anno 1561, Diplomate Sigiſmundi Auguſti Regis , omnes Immunitates , Libertates , & Privilegia , ac inſeparabilem vnionem & conſolidationem cum Corpore Regni & M^{ni} D^{us} $\text{L}^{\text{æ}}$ firmatam & aſſecuratam acceperunt, & inſuper Sacramento Iuramenti per præfatum Divum Sigiſmundum Auguſtum præſtiti, prærogativam Iurium ſuorum inviolabiliter ſtabilitam habuerunt : prout Iuramentum eiuſdem Regis Sigiſmundi Auguſti , Ordini Equeſtri Ducatûs Livoniæ protunc ſolenniter factum, ediſſerit de tenore tali : **Ego SIGISMVNDVS AVGVSTVS DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ , Maſoviæ , Samogitiæ , Livoniæq; , Dominus & Hæres , juro , ſpondeo , & promitto, ad hæc Sancta DEI Evangelia ; quòd omnia Iura , Libertates, Privilegia , Immunitates Provinciæ Livoniæ, Eccleſiaſticas & Seculares , Eccleſijs quoq; & Spiritua-**

li Statui, Archi-Episcopo, Episcopis, Principibus, Magistris, Capitulis, Commendatoribus, Advocatis, Nobilibus, Vasallis, Civibus, Incolis, & quibuslibet Personis, cujuscunq; Statûs ac Conditionis existentibus, per ImperatoresRomanos, & alios quoscunq; Reges, Duces, Principes, Ordinis Teutonici Magistros, & alios legitimos Magistratus illi Provinciæ & Statibus concessas, manutenebo, servabo, custodiam, & attendam in omnibusConditionibus atq; Punctis. Omnia illicitè ab eadem Provincia alienata, aut per hos belli tumultus Moschorum avulsa, pro posse meo & conjunctarum Provinciarum mearum, ad proprietatem ejusdem Provinciæ armis sivè Pactionibus recuperabo, aggregabo. Terminos ejusdem Provinciæ non minuam, sed pro posse meo, diminuta & in potestatem

hosti-

hostium redacta recuperabo, defendam, & dilatabo: sic me DEVS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

In hoc fundamento non solùm Originalis Diplomatis & Iurisjurandi Sacramenti, sed & subsecutarum Constitutionum in Comitijs Regni Generalibus, præsertim 1569, firmatis suis Iuribus, Libertatibus & Privilegijs, sat abundè Provincia Livonica provisa fuit, & cui avulsa ex vi Iuramenti prætacti, & sacrosanctæ sponsionis restitui & aggregari debebant, nequaquam ipsa alienari, aut avelli à Corpore Reipublicæ licitè potuit: cùm Par in Parem in libera Republica & æquali Statu, nullam habeat potestatem, nec tantùm vllis Commissionibus à Republica concessum fuisset alienandi Provincias, quæ Iuris Publici essent: imo fundamentales Regni id fieri vetent prohibeantq; Leges, præcipuè verò Constitutio 1646, post redditum Trubecense Territorium Magno Moschorum Duci, Lege perpetuâ cavit, ne in posterùm tales alienationes fierent, quæ & paritatiStatûs Liberrimæ Gentis, & Capitulationi Pactorum Conventorum, tot Regum Poloniæ, de recuperandis non alienandisProvincijs è diametro repugnarent, tum præprimis Pars ipsa, de qua alienanda agitur, con-

ſenſum ſuum præbere teneretur. His o-mnibus non obſtantibus, Livonia, quæ neque dari, neq; accipi, ſalvâ Republicâ, poterat, in plenum Dominium Sveciæ, tradita & reſignata: cum ea tamen Iurium & Privilegiorum reſervatione, vt ſupra in præfato Articulo expreſſum eſt. Hinc quàm injurium in Rempublicam! quàm Pactis contrarium, inductum in illam Provinciam Deſpoticum Regimen! dum triſtem ſervitutem ſub gravi jugo gementes, & querimonijs ſydera pulſantes deplorant Livones: alij Bonis, Fortunis, & Honoribus mulctati, alij moti ſuis ſedibus, dura tolerant exilia, alij rigidiſſimis carceribus conſtricti, aut exquiſitâ carnificinâ lacerati extrema ſubiêre ſupplicia. Patiuntur perindè vim Pacta Olivenſia, excitatur inter cineres jurata fides Prædeceſſorum S[æ] R[æ] M[tis], nec Manes eorum conquieſcere poſſunt, inviolabilia Regum Diplomata, & ipſæ Leges Regni peſſumdatæ & violatæ, neq; aliud Livonibus reliquum, quàm *tenere Libertatem, aut mori ante ſervitium.*

Non ea Sereniſſimi Ioannis Caſimiri Regis Poloniæ inclementia: qui & hoſtiles Partes ſecutis, pænas Rebellionis non tantùm indulſit, ſed & Iura intacta, juxta præſcriptum Pactorum, ſervavit, &, quod omnem ſuperat bonitatem, illuſtre ad o-

mnem

mnem venturam Posteritatem dedit exemplum memorandæ æquanimitatis; cùm juxta Articulum III infraexpressum, solo amore Pacis, tam Regno Hæreditario Sveciæ, quàm & Avitis Bonis cessit & renunciavit: quò firmiùs Sveciam connecteret Poloniæ, perpetuamq; inviolabiliter radicaret Pacem. Vtinam Svecis similis moderatio & abstinentia alieni fuisset, profectò non tantùm bellorum Terris omnibus gestum fuisset, neq; plus hominum ferrum & arma, quàm naturalis Fatorum conditio absumpsisset.

Articulus III.

SErenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ioannes Casimirus *Rex Poloniæ, pro se ac Hæredibus, Posterisq; suis, amore Pacis, vigore hujus Instrumenti Pacis, solenniter exnunc & in perpetuùm renuntiat omnibus prætensionibus in Regnum Sveciæ, ac Magnum Principatum Finlandiæ, & alias ipsis subjectas Provincias, Regiones, Ditiones, Civitates, Castra & munimenta, sive hæc omnia nuper, sive ab antiquo acquisita sint, necnon*

in Bona Avita in Regno Sveciæ di-ctisq; Prouincijs sita, in Regnum Sueciæ dictasq; Provincias & Bona, præsentibus & futuris temporibus nihil quidquam prætensurus.

AST non intra hos terminos substitit aliena appetens Svecorum aviditas, & quæ Regna ac Imperia ereptum ibat. Iam ipsam Regni Provinciam Livonicam trans Dunam, & Partes cis Dunam sine scitu & consensu Ordinum Livoniæ, vt supra indigitatum est, ita volentibus Fatis, protunc eripuit Reipublicæ & ferme extorsit, licetsi nullum vnquam legitimum solidumq; Ius ad Livoniam habuerit, in quo prima vestigia Antecessores eius, per hostiles irruptiones impresserunt, & demum intervenientibus Induciis, possessioni per solam vsurpationem institerunt. Sed eò infelicitatis deventum erat, vt Ordines & Subditi in Livonia per Pacta Olivensia, obedientiæ vinculô, & fidelitatis Sacramento exsolverentur: attamen Ordines Livoniæ, à Iuramentis Regum, Pactis Conventis & obligatione totius Reipublicæ, stipulatæ defensionis & inseparabilitatis, Regem & Rempublicam Polonam non exsolverunt, imo adhuc firmiter hæret S^a^ R^a^ M^tas^ & Respu-

bli-

blica in nexu præfatarum obligationum, & cùm, magnitudine iniuriarum, oppresſionum, & gravaminum, preſſos & afflictos, fractis Iuribus, Privilegiis, atq; Immunitatibus ſub illa dura tyrannide interire videat; quid iuſtius? quàm oppresſos ſublevare, & propriis Civibus viam pandere, Legibuſq; Divinis & humanis inhærendo, quæ iniuſtis Dominis ac Tyrannis ſcelus & nefas agentibus, nequaquam parendum decernunt, grave iugum Concivium & quondam Confratrum ſuorum armis excutere, & Throno Regni huius (à quo illicitâ alienatione exciderant) Iure Poſtliminii reſtituere, reintegrare, & conſolidare? *Beatas fore Reſpublicas, in quibus aliorum injurias, ſuas quiſq; exiſtimat.* Obligatur ad hæc S^a^ R^a^ M^as^ ex conſcientia & vinculo Iuramenti, circa felicem ſuam inaugurationem ſolenniter præſtiti, tenetur ad vindicias violatorum Pactorum, ob non ſervatas Leges & Libertates Livonibus, nè deſperatis auxiliis Liberationis ſuæ (quod DEVS avertat) alium quærant, & inveniant Protectorem & Dominum, cum inſigni & irreparabili damno Reipublicæ, & metuendâ Fatali conſequentiâ: ne ex eodem aſſumpto Protectore maior quandoq; hoſtilitas conſurgere poſſit.

Elici ex eodem Articulo non minùs poteſt alia enormis læſio Pacis Perpetuæ

& gravis Reipublicæ offensio, postquam Svecia, non tantùm Commissionem Dislimitationis Livoniæ cum Commissariis Reipublicæ, in spatio quatuor septimanarum in Pactis præscriptam protelavit, distulit, & tandem elusit; sed vltra præfatam enormem avulsionem Livoniæ Septemtrionalis, & terminos vsurpatæ sub Induciis possessionis, nec deoccupatas certas Præfecturas in Semigallia, Illustrissimo Duci Curlandiæ, adhuc tria milliaria fundi Reipublicæ temerè & iniustissimè ademit, atq; imminutis Regni terminis, pro suo arbitrio, in summum Reipublicæ contemptum, non requisitis neq; exspectatis Commissariis Regni Poloniæ, limites determinavit, signa metalia posuit, nuper ipsum Fortalitium Dúnemúnda, ex alia parte Dunæ fluvii in solum Curlandicum transtulit, & reposuit; cuncta in opprobrium Nominis Poloni, & convulsionem Pactorum dirigendo, prout edocet

Articulus IV.

SErenissimus Rex, & Status Ordinesq; Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithvaniæ, à modò & in perpetuùm cedunt vi hujus Pacificationis Serenissimo Regi Sveciæ ejusq; Successori-

cessoribus Regibus Regnoq; Sveciæ omnem illam Livoniam trans-Dunanam, quam Svecia hactenus per tempus Induciarum tenuit & possedit, ut & Partes cis-Dunanas omnes, & Insulam Runen in Mari sitam, quas per idem tempus Induciarum Suecia tenuit & possedit, necnon quidquid Iuris Regibus & Reipublicæ Polonæ in Esthoniam et Osoliam hactenus ullo modo competere poterat. Atque hæc quidem omnia et singula cum omnibus suis pertinentijs, Terrestribus et Maritimis, Vrbibus, Arcibus, Propugnaculis, Bonis, et Prouentibus, necnon Iuribus, Iurisdictionibus Regalibus et Superioritatibus tam in Ecclesiasticis, quàm in Politicis, nullis penitus exceptis, in plenum Dominium et proprietatem Regum Regniq; Sueciæ transferunt, Ordinesque et Subditos in illa Liuonia, ejusque recensitis partibus, omni erga Regem et Rempublicam Polonam obedientiæ vinculo et fidelitatis Sacra-

 men-

mento exſoluunt, nihil unquam in eos ad dictam Liuoniam ejuſque pertinentias poſthàc prætenſuri, cis Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciæ, non ulteriùs, quàm hactenus, fines ſuæ poſſeſſionis inCurlandia aut Semigallia promoueant, aut ſeruitutes à ſubditis Illuſtriſſimi in Curlandia Ducis exigant, aut ullum jus ligandi, aliudue quoduis in Curlandia aut Semigallia prætendant. Commiſſarij uerò ad declarandos et determinandos ab utraque Parte fines abutrinque deputabuntur, et Commiſſio hæc intra quatuor ſeptimanas, à ſubſcripto Tractatu inchoetur, et intra duas expediatur etc.

ECce quàm evidenter Svetici contra Pacta progreſsûs enormitas elucescit! nec vnquam illi voluntatem Regni Poloniæ laceſſendi, diſcerpendi & lacerandi, ſed occaſionem defuiſſe, in confeſſò eſt. Maius verò vuln⁹ Reipublicæ, dedecus huic Regno inflictum, quandò poſt ſancitam in Comitiis Generalibus 1690 erectionem Portûs & Civitatis Polonga in Duca-

Ducatu Samogitiæ, ad littora Maris Balthici, idq; operâ certæ ſocietatis Anglicanæ perficiendam, quo minùs ad effectum perduceretur, variis modis & comminationibus impedivit, & in alieno Regno ac Dominiis partem ſibi Imperii arrogavit, immiſſiſq; Speculatoribus & Architectis militaribus, clandeſtinè ſitum loci illius delineari fecit, non ſine manifeſto hoſtilis animi indicio, & præconceptâ inſidiarum contra Rempublicam meditatione. Deniq; Naves Połongam commeantes areſtari & ſequeſtrari fecit, neq; priùs dimiſit, niſi ſe ſe ingenti lytro redemiſſent, quibus poſthac liberam navigationem interclusit, præfatamq; ſocietatem Anglicanam, continuis preſſuris, moleſtiis, mercimoniorum direptionibus, & impendentibus periculis ac minis diſperſit, ad incitas redegit, & ad deſerendum opus illud tàm vtile, & proficuum toti Regno, & Magno Ducatui Lithvaniæ compulit, & coègit, ac cum ſummo & inæſtimabili damno abominabilem deſolationem, loci illius tàm pulchrè fundati, cauſavit.

Hæccinè Pactorum, quæ ſanctè coli & cuſtodiri debebant, obſervantia? hæccinè fidæ & ſinceræ Amicitiæ documenta? taleſnè fructus perpetuæ Pacis Olivenſis? Procul hæc à Polonis invidia & malignitas, qui pro ſtabilienda inter vtrumq;

Regnum optima confidentia, plura indulsêre quàm debuerunt, ſicut explicat § V. in

Artic: V.

§ V. QVò *favorem Commercijs & Navigationi Sac*[a] *Reg*[a] *Majeſtas Poloniæ conteſtetur, ſigna nautica in Domeſnes & Luſerochrt exſtructa conſiſtere permittit. De ratione verò conſervationis & manutentionis eorundem convenietur à Svecis, cum fundi Dominis; nullo inde Iure aut prætenſione Regni Sveciæ in fundos dictos, aut Territorium Piltinenſe enaſcente aut enaſcituro.*

PRofectò tot hoſtilia, tàm multæ & magnæ injuriæ à Svecia patratæ, niſi dolorem Sac[æ] Reg[æ] M[tis] exacuiſſent, & patientiam tot annorum ſpatio laſſàtam deviciſſent, non accederet ad Decretorium ſtylum, & vindicanda hæc damna ac præjudicia, & contemptum inclytæ Gentis Polonæ, cujus ſibi tradita tutela, non ſervitus. Quodſi quid vnquam adversùs Religionem Pactorum emerſerit, non ſecùs, quàm ſuô propriô commovetur periculô; & omnem felicitatem publicam, ſuam

ſuam eſſe reputat. Tantò autem majori zelô & ardore fertur S^{a} R^{a} M^{tas}, quantò propiùs intelligit omnia eouſq; temporis per Svecos impunè geſta & pertentata. Obtendit olim Carolus Guſtavus Rex Svecorum fœdifragæ irruptioni in viſcera Regni Poloniæ certos prætextus, in illo Commento brevis & præliminaris enumerationis Cauſarum: **Bothium Colonellum cum militaribus Copijs Provincias & Ducatus Regni Poloniæ, ad infeſtandam armis Livoniam, connivente aut inſtigante Rege Poloniæ Vladislao IV. pervaſiſſe**; quod tamen ipſo fatente tantum abfuit, vt credi poſſet. Allegavit ſimiliter, **Krokovium Cæſariani Exercitûs Ducem per Poloniam in Pomeraniam tranſijſſe, & rursùs improvisô & irremediabili tranſitu per Poloniam redijſſe, ſe ſeq; diſcrimini ſubduxiſſe**, quod à parte Polona in illo inſperato eventu, minimè arceri, aut averti potuit, cùm loca omnia & confinia præſidijs nudata fuiſſent, neq; Regem & Rempublicam hæc impoſtura, acſi vltrò conceſſi tranſitûs & reditûs, quem caſus dederat, mentali-

taliter objecta gravare potuit. Quàm longè præstat violentus & temerarius in Anno 1678 transitus Generalis Horn cum Exercitu Svetico per Curlandiæ & Samogitiæ Ducatus, contra Serenissimum Electorem Brandeburgicum, perpetuum Fæderatum Regni Poloniæ, abruptis Pactis Olivensibus, insciô & insalutatô protunc Rege Poloniæ, præsumptus & effectuatus; quàm verius ab omni æquitatis ratione abhorret, tot ingentia damna, nullis ordinatis rationibus itinerum, per militarem licentiam & extorsionem intulisse, cuncta rapinis ac violentijs pervia fecisse, nec vllam injuriatis & querulantibus satisfactionem præstitisse, prorsùs hostiliter cum summa depopulationeRegionum perrupisse, & gravem incussisse metum Provincialibus, vnde super agrorum vastitatem, Colonorum ruinam, attritas opes Nobilitatis, & causatam solitudinem, afflictorum lachrymæ personuêre.

Pudet referre tot insultibus & præiudicijs, & his indecoris, continuô tenore fluentibus affectam Rempublicam. Sed quid hæc altùm tumens Svecia, & felicitatis suæ modum ferre nescia consideraret? quæ nec Pactis Olivensibus Artic: XI. disponentibus, grandia debita per Duces & Officiarios Bellicos Torunij & Elbingæ contracta, præfatis Civitatibus non tantùm bonâ fide,

fide, prout conventum erat, non exſolvit, ſed realem & effectivam ſatisfactionem, per exquiſita diverticula & artificioſas adinventiones ſuas eluſit, Pactiſq; ipſis in præfato Articulo infra expreſſo contravenit.

Articulus XI.

DEbita inter utriuſq; Partis Subditos & Incolas, tùm etiam à Ducibus & Officiarijs belli ubicunq; contracta, utrinque bonâ fide ſoluentur &c.

HVſto deſunt verba dolori ſuper conſtrictam & coarctatam Commerciorum libertatem: ingemiſcunt Incolæ ſub intolerabili novorum vectigalium & exactionum onere, verè ſanguiſugis preſſuris, ſpretâ authoritate Pactorum, quæ Articulo XV. diſertè obloqvuntur.

Articulus XV.

COmmercia priſtina ſint libera & non impedita, inter utrumq; Regnum Poloniæ Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, & Sueciæ, ſubjectas illis Prouincias, Subditos & Incolas, tam

terrâ quàm mari, & in veteri usu atq; exercitio, quô fuerunt tempore Induciarum, conserventur. Imprimis sit liberum Commerciorum exercitium, liberaq; defluitatio mercium per fluvium Dunam & Bulderaviam Subditis & Incolis Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithuaniæ, & Polonicæ Liuoniæ Curlandiæq; ac Semigalliæ; cum Subditis Incolisvè Liuoniæ Sveticæ: & viceversâ Subditis Incolisque Regni Sueciæ et Livoniæ Sveticæ, sit liber commerciorum usus per eadem flumina, cum Subditis Incolisq; Poloniæ, Lithuaniæ, Liuoniæ Polonicæ & Curlandiæ Semigalliæque: Teloniorum verò & vectigalium in flumine Duna & Bulderaa, ut maritimorum ac terrestrium in Liuonia, eadem ratio, & in ijsdem tantùm locis ab utraque Parte in posterùm sit, uti, & ubi tempore Induciarum, & ante hoc ultimum bellum fuit. Majoris quoque Poloniæ Incolæ, cujuscunque conditionis sint, siuè terrâ, si-

vè

uè aquâ commercia sua exercentes, nullis nouis Teloniis & gabellis Stetini onerabuntur. Ciuitas quoque Gedanensis, et aliæ Prussiæ Ciuitates, in Regno Sueciæ et subiectis Provinciis illi, gaudeant eâ libertate Commerciorum et vectigalium, quâ gauisæ sunt ante novissimum bellum.

NIhilominùs non Fædus sanctum, non metus infringendorum Pactorum continuit Svecos in Officio, quin turgentes suas cupiditates per dispendia rei Polonæ explerent, & gravissima tàm super Curlandicas Mittavienses, per fluvium Bulderaa Rigam devectas, quàm & Moschoviticas merces, telonia statuerint, & vltra omnem justitiæ rationem, crudelem imposuerint exactionem, summo Polonis oneri, qui tanquam vltimi consumentes, auctô pretiô hæc omnia sustinere, & propriô ære eluere debent, & quod minimè ferendum est, merces & frumenta Palatinatuum Albæ Russiæ, M^ni^ D^us^ L^æ^ Dunâ flumine Rigam venientia, quotannis, miserandum in modum, pro libitu taxata, novo genere Decimarum aggravata, alijsq; injurijs & extorsionibus, nonChristiano modo onerata, experta quot-

annis illorum Palatinatuum Nobilitas, ſenſit non ſine amaritudine doloris ex lucro ceſſante & damno emergente, pigebatq; Nobilem Populum dare tali modo tributa externo Principi, quæ nunquam conſveverat, & tam contra Pacis Leges opprimi, quàm ad extrema per illam tributariam impoſitionem enervari ac ad medullas eviſcerari, dolendum prorsus & indignum quis dubitet?

Acceſſit ad cumulum malorum & præjudiciorum Reipublicæ ſolidaria moneta Schillingorum Rigæ in Anno 1667, in ſumma quantitate cuſa & conflata, falſoq; Poloniæ ſtemmate fabricata, verè ærugo Reipublicæ, quæ totam infecit Lithvaniam, negotiationes, quibus Regna floreſcunt, afflixit, commercia cum vicinis diſtraxit, & opes Regni, aurum & argentum vili pretiô exhauſit: non aliô fine, quàm vt Rempublicam penitus exinaniret, vtq; aliquando fortioris eſca, fieret infirmior.

Neq; omittenda eſt Poſta Svetica, non Pactis Olivenſibus conceſſa, non vllâ authoritate Legum fundata, temerè & indebitè per Ducatus Curlandiæ & Samogitiæ diſpoſita, & ordinata, in grave præjudicium Iurium Regalium & Reipublicæ: nil tale Majores Noſtri viderunt, nil ſimile in Exteris Gentibus practicari conſtat, cùm nullus Regum ac Principum in proprijs Domi-

Dominijs talia vnquam permiſerit, in maximum ſummi Imperij detrimentum.

His omnibus & ſingulis expoſitis, Chriſtiani Orbis eſto judicium, quàm graviter & enormiter Corona Sveciæ, tot repetitis vicibus æternum Fædus Olivenſe ruperit, fregerit, & defactò violaverit. Et jam pridem tanquam Aggreſſor & Infractor Pacis, beneficio eorundem Pactorum exciderit, & tam Generalem Guarrantiam Sac[æ] Cæſ[æ] M[tis] & Sereniſſimi Electoris Brandeburgici in Artic: XXXV, quàm & perpetuam evictionem in Artic: XXXVI Chriſtianiſſimæ Galliarum Maieſtatis, cujus ope ac ſtudiô Pax Olivenſis promota, & ad opatum finem preducta fuit, per ſupraſcripta attentata ſua læſerit, & juſtam vindictam incurrerit: provt hæc omnia vterq; Articulus pleniùs elucidat.

Articulus XXXV.

QVò firmior, ſtabilior, & ſecurior Pax hæc coaleſcat, & ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupra memoratæ Partes Paciſcentes omnes, tam Principales, quàm Fæderatæ: ſe hanc tranſactionem & Pacem, omneſq; ejus Articulos, Ca-

pita, et Clausulas, sanctè et inuiolabiliter seruare velle et debere: et nè in posterùm violari queat, se invicem ad Generalem Guarrantiam, et euictionem mutuam, ac defensionem reciprocam, omni ex parte obstringunt; hisce quàm fieri potest, firmissimè spondentes, ut si contingat unam Partem ab altera, vel plures à pluribus, terrâ vel mari, bello contra hanc Pacificationem impeti, Aggressor ipso facto, pro Infractore hujus Pacis ab omnibus habeatur, ejusdemque beneficio excidat, et tum altera, reliquæque Paciscentium Partes, Parti læsæ, ad summum intra duos Menses à requisitione Partis læsæ, eidemque communibus armis assistere, et bellum tamdiu contra Aggressorem prosequi, donec Pax communi omnium Partium consensu restituta fuerit, inuicem teneantur.

Artic:

Articulus XXXVI.

CVm autem pro majori ſecuritate hujus Pacificationis, tam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex et Reſpublica Poloniæ, quàm Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Sveciæ, vt & Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, poſtulàrint, ut Sereniſſimus et Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. *Galliarum et Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, cujus ope ac ſtudiô inter præmemoratos Sereniſſimos Reges, et Sereniſsimum Electorem Brandeburgicum Pax promota, et mediatione ad optatum finem perducta eſt, executionis & obſeruationis illius inter eoſdem Fidejuſſor exiſteret; S^a R^a M^tas Chriſtianiſsima poſtulationibus ac Votis illorum annuens, eôdemque animô Pacis hujus perpetuitatem exoptans, quô eam percurauit: pro ſe ac Succeſſoribus ſuis Regibus Galliæ ſpondet ac promittit, idque per Illu-*

ſtriſsimum et Excellentiſsimum Dominum, Dominum Antonium de Lumbres Legatum ſuum plenarijs mandatis ad hanc Guarrantiam cauendam, inſtructum: ſe Executionem horum Pactorum, eorumq́; obſervationem, ac perpetuitatem inter eoſdem ſupra nominatos Principes, omni meliori, quô fieri poteſt, modo, etiam armis, vbi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam. Et ſi quis eorum ſub hac Fideiuſsione comprehenſorum illa violârit, arma vireſq́; ſuas Parti læſæ ad ejus requiſitionem juncturam. Quod vt firmiùs omnibus conſtet, promittit dictus Dominus Legatus Gallicus, ſe Ratificationem Regis ſui ſuper hanc Guarrantiam, eodem tempore, quô ratihabitiones Pacis commutabuntur, exraditurum. Integrum quoq́; erit Paciſcentibus omnibus, eandem Chriſtianiſsimi Regis Guarrantiam & Fideiuſsionem ſuſcipere, & alios quoq́; in tempore Ratihabitionis ad idem Officij genus invita-

vitare, & denominare Principes ac Potestates.

DIssimulare equidem hanc manifestam Pactorum rupturam, & toties intentatam hostilitatem præteritis temporibus debuit Respublica, partim Domesticis malis & turbis fessa & involuta, partim flagrante bello Turcico distenta, donec exoptata affulgeret occasio ruptorum Pactorum debitas repetere pœnas, & hanc iniquitatem, ac insolentem nimiæ potentiæ ferociam coërcere, auxiliumq́; Generalis Guarrantiæ ad reprimendum, & intra terminos modestiæ redigendum Aggressorem invocare. Metuendum enim erat, ne hostis fragili & fluxâ fide, querimonias Nostras & vltionem anteverteret, aut occasionem irruendi in viscera Regni, perinde sumeret: quo magis compertum est ex allegatis superiùs exemplis, eundem hostem tanto Terrarum Pelagiq́; spatio disjunctum, contra Pacta & Inducias in Poloniam toties irrupisse, & circa memoratas præstigias ac inania Causarum vltimi sui belli Svetici, ipsam præcustoditionem Iuris Reipublicæ ad Insulam OEseliam, Svecis à Dania, vigore Pactorum Bromsebroensium cessam, ex justis rationibus per Camerarium Bergk Regis Vladislai factam, pro futili prætextu

obtendiſſe. Recondere itaq; dolorem, & injurias ſuas tantiſper ſubticere ſecuriùs duxit Reſpublica, quàm manifeſtari vulnera, quæ pro tunc neq; palpari, neq; curari, aut medelam recipere à feroci hoſte poterant: multominùs Evictores ſuos & Fidejuſſores, vigore Generalis Guarrantiæ, contra Aggreſſorem & Turbatorem Pacis implorare, aut arma & vires eorum ſollicitare ſibi licuit, cùm contra Orientis Tyrannum non ſine magno rerum ſuarum periculo res gereretur, & bella bellis accumulare minùs conſultum eſſet.

At nondum à gravi & difficili bello Turcico, non ita pridem feliciter determinato, reſpiravit Reſpublica, nondùm dulces Pacis delicias primis labris deguſtavit, & jam rerum novarum cupidine & odio præſentium, novum turbidi Conſilij facinus & atrox intentatum auſa Svecia; dum in alta Pace quieſcente Orbe Chriſtiano (cùm ſe omni periculo defunctos Fæderati & Vicini crederent) graviſſimas in Ducatu Holſatiæ, per promotam ſuo motu & inductione erectionem munimentorum, non tuendi, ſed nocendi causâ, ingentes excitavit turbas, & contra Sereniſſimum Regem Daniæ & Norvegiæ, Perpetuum Colligatum Sac^{æ} Reg^{æ} M^{tis} & Reipublicæ Polonæ, in deteſtandam, nec jam amplius tolerandam erupit audaciam. Exhor-

horruit vicinum fatum Sac^{a} Reg^{a} M^{tas}, prævidens, & altiùs ſuſpiciens, hæc Svecorum meditamenta, tum vltro citroq; irritatam Pacem, convulſa Pacta Dano-Svetica, Pace Olivenſi ſanctè comprehenſa & ſtabilita, tantò ſenſibiliùs commota fuit, quantò propiùs ex illa altiſſima Orbis Chriſtiani ſpecula, cui Polonorum Regum Thronus ſuperimpoſitus, obortam ab Aquilone tempeſtatem conſiderat, & quorſum res iſta vergeret, ſublimi expendit cogitatione: Poſtquam enim bellico apparatu perſtrepit Septemtrio, onerantur claſſibus maria, & ſi quid vſpiam eſt virium, in extremum Confæderati Regis & Regni Daniæ armari cæpit excidium. Quis hæc Svecorum deſtinata, periculi plena non adverteret? qui ab omni hominum & geſtorum memoria, nihil aliud egerunt, quàm vt everſo Regno Daniæ & Norvegiæ, oppreſsâ Poloniâ, abſolutum maris Balthici & Monarchiæ Septemtrionalis Dominium, & integram Commerciorum poteſtatem ſibi firmarent, quò magis Orbi Chriſtiano prædominari poſſent. Hinc Manifeſta Fæderatorum à multis Sæculis ab invicem Regnorum, ad bellum gerendum provocatio, & ad mutuam defenſionem ſuprema impoſita neceſſitas, ex vi Perpetuæ Colligationis Pactorum 1564, & 1565, directè adverſus Sveciam inter Coronas Po-

loniæ & Daniæ in perpetuùm initorum, tum & posterioris Confæderationis de Actu & data Haffniæ die 18 Mensis Iulij Anno Domini 1657 initæ, cujus tenor sequitur talis.

SErenissimi & Potentissimi Principis ac Domini, Domini IOANNIS CASIMIRI Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæq; ; necnon Svecorum, Gottorum, Vandalorumq; Regis Hæreditarij, Domini mei Clementissimi, Regniq; Poloniæ Internuntius Extraordinarius Ego infrascriptus Subdapifer Cracoviensis, Intimusq; Regiæ Cameræ Familiaris *Tobias Morsztinius* notum testatumq; facio. Quòd sicuti à multis retrò annis, Regibus Regnoq; Poloniæ, cum Regibus Regnoq; Daniæ, pervetusta & intimior intercessit amicitia, atque eidem non solùm corrobo-

randæ, ſed & arctiori Fœderum nexu adaugendæ commodum acciderit, quod Mandato & Nomine S^æ R^æ M^tis Poloniæ, in Aula Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI III. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gottorumq; Regis, Ducis Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæque, Comitis in Oldemburg & Delmenhorſt, ſufficienti poteſtate inſtructus exiſtens, promptuſq; tranſigendis, quæ ſequuntur negotijs me obtulerim; Ita quoq; dicta S^a R^a M^tas Daniæ, infraſcriptis Deputatis Commiſſarijs Generoſis D. D. Regni Daniæ Senatoribus, dicti Regni Aulæq; Magiſtro & Supremo Theſaurario Kallundburgi ac Movæ Præſidibus, *Ioachimo Gerſtorff* in Tundbykolm Equiti, & *Petro Reedtz* in Pygeſtrup, pari & ſufficienti poteſta-

L te mu-

te munitis, clementiſſimè injunxit, vt perpenſis & conſideratis, vnâ ijs, quæ pro roboranda amicitia mutua, & pro vtriusq; Status ſalute & incolumitate præſentis temporis, ac rerum circumſtantijs convenientiſſima judicarentur, certi quid de ijs ſtatueremus, atq; ſub Articulis quibuſdam mutui Fæderis comprehenderemus. Quamobrem de infraſcriptis negotijs poſt ſedulam eorum deliberationem, ſequenti ratione convenimus. I. Erit inter Regem Regnumq; Poloniæ ab vna, & Regem Regnumq; Daniæ & Norvegiæ ab altera Parte, vera & ſincera Pax & Amicitia, ita vt neutra Pars alteri incommodum vllum, aut detrimentum, nec per ſe, nec per alios inferat, aut inferri faciat, ſed ſemet invicem bonâ fide & candido affectu complectan-

tur

tur, & alter alterius commoda promoveat, damna verò & detrimenta, quantùm in ipſa erit, impediat, & avertat. II. Vtriuſq; Partis Subditi & Vaſalli eandem Pacem & Amicitiam inter ſe colent, & vbiq; locorum, vbi ſibi obviam facti erunt, tàm per terram, quàm per mare, non modo ab omni læſione & injuria invicem abſtinebunt, ſed & omnem benevolentiam, & amica officia, alter alteri mutuò exhibebunt. III. Vtriuſq; Regis Subditis liberum erit, alterius Provincias, Emporia, Portus, flumina cum mercibus ſuis tàm terrâ quàm mari adire ſinè vllo impedimento, vbiq; verſari & negotiari, dummodò conſveta vectigalia ſolvant: ita tamen, ne Leges & Statuta Provinciarum, quibus aliæ Nationes omnes ſubjacent, vllô modô violentur & infringan-

tur, præſertim quod attinet Inſulas & Portus quoſdam ad Regnum Norvegiæ ſpectantes, in quibus ne ipſis Subditis Regijs negotiari licet abſq; ſpeciali Regis indulto & privilegio. Quandoquidem Vniverſo Terrarum Orbi perſpectum ſit, Svecorum molimina & conatus omnes eò dirigi, vt fines Imperij in Vicinorum detrimentum ac oppreſſionem dilatent, Dominumq; Maris Balthici ſibi ſolis vendicent, quæ ex recenti in Regnum Poloniæ, & præſenti in Regnum Daniæ factō hoſtili impetu ſatis liquet; eapropter Sereniſſimus Rex Poloniæ, & Sereniſſimus Rex Daniæ ac Norvegiæ, magnoperè deſiderantes incommodis maliſquè, quæ indè exoriri poſſunt, occurrere, convenit, vt inter ſummè memoratos Reges ſincerum & inviolabile ſanciretur Fædus

hoc

hoc modo. IV. Erit inter Regem Regnumq́; Poloniæ &c., & Regem Regnumq́; Daniæ &c. amica & ſtabilis confæderatio adversùs Sveciæ Regem, per Provincias Regni ſui finitimas terrâ mariq́; bello perſequendum. V. Ad Confæderationem hanc Reges, Principes, Reſpublicæ ac Civitates, quorum omnium quidquam intereſt, quiq́; honeſtis conditionibus patent, non ſolùm admittentur, ſed & invitabuntur, nominatim S^{a} R^{a} M^{as} Hungariæ, Magnus Dux Moſchoviæ, Ordines Generales Fæderati Belgij, & Sereniſſimus Elector Brandeburgicus. VI. Neutri Parti ſit liberum, trium annorum, poſt Fæderis hujus confirmationem, Spatio, Pacem, Inducias, ſive armiſtitium aliquod tractare, & multò minùs concludere cum Svecis, inſcio vel non incluſo altero, ſi

includi ac comprehendi velit ac desideret. VII. Fida & sincera Amicitia, mutuaq; societas inter summè memoratos Reges futura est. Insuperq; , pro viribus, & quantùm fieri poterit, altera alterius Partis commodo, incolumitati, & securitati inservi-et, consuletq;: quemadmodùm etiam in contrarium, Regem Sveciæ vtriusq; hostem, damnoq; ac detrimento quocunq; afficient, & omnibus Copijs viribusq; aggredientur. VIII. In posterum quicunq; invadetur à Svecis, ab alio succurratur, ita, vt si Pax vel Induciæ semel concludantur, & Rex Regnumq; Sveciæ, ex quocunq; prætextu, directè vel indirectè aggredietur Reges & Regna, Poloniæ & Daniæ, in Provincijs, Terris, & locis eorundem, vt Rex & Regnum injuriâ affectum in bellum descendat: obli-

gabi-

gabitur etiam Rex & Regnum Confæderatum ad apertum bellum descendere contra Svecos, neq; Pacem postea tractare, vel concludere, nisi ex communi consensu. IX. Quodsi contingat, vt alterutrum Regnorum Poloniæ & Daniæ cum suis Provincijs liberetur ab Exercitu Svetico, totæq; vires ejusdem hostis transferantur contra vnum ex prædictis Regnis, obligabitur alterum Regnum Confæderatum ad ferendas suppetias, quæ ex Parte Poloniæ, per Exercitum terrestrem, ex parte verò Daniæ, per Classem Maritimam armatam, præstabuntur. X. Cùm verò Rex Sveciæ violatâ inter Coronas Septemtrionales, nuper factâ, & vtrinq; solenniter confirmatâ Pace Exercitu suô, præter omnem exspectationem, in Provinciam Seelandiæ irruperit, ejusdemque

Metropolim ex omni aditu clauſerit, Rex Poloniæ competentibus & ſatis idoneis Copijs, Regi Daniæ, ſine mora auxilio venire obligabitur, cujus reſpectu, ſimiliter Sereniſſimus Daniæ Rex Portui Gedanenſi contra infeſtam Svecorum aggreſſionem, ſi quando hæc evenerit, claſſe armata ſuccurrere. XI. Tractatus hic, intra duorum Menſium, ab hoc die numerandorum, ſpatium, à Sac^{a} Reg^{a} Mat^{te} & Senatoribus Reſidentibus Regni Poloniæ ab vna, & Sac^{a} Reg^{a} Mat^{te} & Senatoribus Regni Daniæ ab altera Parte approbabitur & confirmabitur, eodemq; tempore tradetur, & permutabitur vtrinque prædictus Tractatus. Et S^{a} R^{a} M^{s} Senatuſq; Poloniæ obligabuntur ſpecificatas clauſulas ejuſdem, in proximis Comitijs Generalibus Regni à dicta Sac^{a} Reg^{a} M^{te}

Polo-

Poloniæ & omnibus Ordinibus Regni insuper confirmatum & approbatum fore. Dictus tamen Tractatus interea temporis, ab vtraque Parte fideliter & ex omni Parte obſervabitur. In quorum omnium evidentiam & robur, conſcripta ſunt bina hujus Tractatûs & Fæderis ejuſdem tenoris exemplaria, quæ invicem tradita; Nos ſupranominati proprijs manibus ſubſcripſimus, & Sigillorum Noſtrorum impreſſione & appenſione munivimus. Haffniæ die vt ſupra. *Tobias Morſztyn* (L. S.) *Ioachimus Gerſtorff* (L.S.) *P. Reedtz* (L. S.)

Quam quidem Colligationem Vniverſa Reſpublica in Comitiis Regni Generalibus Anno 1658 confirmavit & roboravit titulo:

APPROBATIO PACTORVM cum Srn^{mo} Rege Daniæ.

SImiliter cum ſua Majeſtate Daniæ Pacta per Generoſum Tobi-

am Morsztyn Subdapiferum Craco-viensem, Aulicum Nostrum, Nostro & Reipublicæ Nomine de Actu & data Haffniæ die 18. *Iulij Anno* 1657 *inita & constituta, in omnibus eorundem ligamentis & conditionibus, authoritate præsentium Comitiorum approbamus.*

Dederunt insuper perenne robur eidem Colligationi Pacta Tractatûs Olivensis in Articulo I. supra inserto, de servandis Pactis & Confæderationibus inter Partes Paciscentes, & præsertim in

Articulo XXXI.

CVm verò ad stabilitatem hujus Pacis plurimùm intersit, vt vniversaliter componatur, & inter omnes belli hujus socios, securitati Commerciorum plenè prospiciatur, ideò licèt controversiæ, quæ Serenissimo Regi Regnoq; Sveciæ, cum Serenissimo Rege Daniæ intercedunt, hîc commodè decidi non potuerint, & in ipsa Dania cum spe successûs tractentur: nihilominùs conventum est, vt Serenissimus

Daniæ

Daniæ & Norvegiæ Rex, ejusq; Regna & Ditiones in hoc Tractatu, conclusa in Dania Pace comprehendantur, ita vt ea omnia, quæ inter altè memoratos Sveciæ & Daniæ Reges conclusa & constituta fuerint, ad hanc Pacem, pariter, acsi in hoc instrumento specificè inserta forent, pertinere censeantur, salvo per omnia ipso Tractatu in Dania inter vtrosq; Reges & Regna concluso, vel concludendo.

JVravit ad hæc Sa Ra Mas Poloniæ, & Solennissimè in Pactis Conventis Ordinibus Regni se se obligavit, Pacta & Fædera cum Vicinis inviolabiliter manutenere, observare & renovare velle.

Quapropter exacto judicio res ponderantibus facilè assequi, vtrum Sa Ra Mtas Poloniæ ex vinculo præfatæ Colligationis sibi & toti Reipublicæ incumbentis, & ex obligatione Antiquissimorum Pactorum & Confæderationum, ob insignem Poloniæ à Dania novissimè navatam operam, totamq; molem belli Svetici in se derivatam, & florentissimas ereptas Provincias, videlicet Scaniam, Blekingiam, Hallandiam, & Præfecturam Bahusiensem, aliasq; am-

plissimas Regiones, inter ancipitia ista, & in dies à Sveco infestiora, non teneatur subvenire aperto bello Serenissimo Regi Daniæ, & omnibus modis vim vi propulsare, diversionem facere, nec præsentia duntaxat, sed & futura intueri: siquidem etiam Pacta ipsa Olivensia, communem Regnorum Poloniæ & Daniæ Pacem & causam esse voluerunt.

Subeunt adhuc calamum injuriæ $S^{æ}$ $R^{æ}$ M^{tis} Poloniæ, à Svecia, contra Iura honestarum Gentium, & ipsam propinqui sanguinis necessitudinem, grandi cum ignominia illatæ. Quamprimùm enim S^{a} R^{a} M^{tas} post felicem sui in Campo Electorali Inaugurationem in primo Regni hujus aditu, fidam & sinceram Regis Sveciæ amicitiam sibi conciliare voluit, eôq; motivô Ablegatum suum indilatè Sztokholmiam expedivit; non tantùm votis & exspectationi $S^{æ}$ $R^{æ}$ M^{tis} non respondit Svecia, sed cum summa indignitate, $S^{æ}$ $R^{æ}$ M^{tis} Ablegato repulsam dedit, eundemq; insalutato Rege Sveciæ retrovertere fecit: certissimum radicatæ in pectore hostilitatis prodente documentum, & indubitatam in quovis adverso casu, contra Sac^{m} Reg^{m} M^{tem} & Rempublicam infensæ infestæq; viciniæ suæ malevolentiam. Verùm potuit justâ lance rependere S^{a} R^{a} M^{tas} Poloniæ, & pari contemptu Ablegatum Sveticum

Gene-

Generalem Velling, veriùs ſpeculatorem ad exploranda & turbanda Regni negotia immiſſum, tractare; ſed cùm probè noverit Sa Ra Mtas, Ius Legatorum Divino humanoq; velatum præſidio, cujus tam ſanctum & venerabile nomen eſſe debet, vt non ſolùm inter Vicinorum Iura, ſed & hoſtium tela incolume verſetur; idcirco præfatum Sveticum Ablegatum Velling non ſolùm convenienti dignatione excepit, ſed & Aulam ſuam comitantem, omni benevolentiæ genere cumulavit, ac plus quam Civilia agitantem, ſumma cum patientia toleravit. Non latebant Sm Rm Mtem clandeſtinæ ejus machinationes, pernitioſa molimina, & turbidæ ad concitandam inter Status diffidentiam factiones, tum ſiniſtræ ſparſæ inſuſurrationes, quæ in publicum Reipublicæ malum facilè redundare poterant. Diſſimulavit hæc omnia Sa Ra Mtas pro congenita ſibi æquanimitate, neque collidendæ inter vtrumq; Regnum amicitiæ vllam ex Perſona ſua occaſionem dare voluit, oſtenditq; altiorem omnibus injurijs, & verè Regium animum, atq; his occultis cuniculis Ablegati Svetici in exitium Reipublicæ vergentibus, maturô ſuo judiciô & prudentiâ viam obſtruxiſſe, ſatis habebat.

Ad extremùm præterire nefas eſt, quomodò Copijs Militaribus Sæ Ræ Mtis Polo-

niæ ad erigendum Portum in Polonga vigore ſupraſcriptæ Conſtitutionis, & Poſt-Comitialis Senatûs-Conſilij in oras illas deſtinatis, hyemaliq; tempore in Stativis ſuis pacificè degentibus, non ſolùm Gubernator Rigenſis, citra vllam datam cauſam, auſus vias publicas intercipere, diverſas inſidias tendere, ſed & ſpeculatores clanculùm dimittere, Deſertores Caſtrorum ſupprimere, & circa requiſitam profugorum extraditionem miſſis Officialibus illudere, necnon continuis irritamentis laceſſere, primoq; Finnorum adventu excidium interminare, vt tandem ad noviſſima in Livonia attentata mutuamq; hoſtilitatem, occaſione & culpâ præfati Gubernatoris Rigenſis, deventum fuerit: *Incendium nimirùm juſtè ei imputatur, qui facem intulit, & cùm prohibere poſſet, ac ſcintillas reſtinguere, omnino noluit.*

Affundit oleum igni, & exortum ad præſens eò magis exagitat incendium indomita Svecorum inſolentia, dum naves Bellicas ad Gedanenſe Promontorium Hela dictum, noviſſimè ſuperimmiſit, ibique ſubſiſtere, & tam naves Hollandicas, quàm & alias detineri & revideri fecit, Accolas & Provinciales grandi reboantium tormentorum fragore exterruit, liberam navigationem, & commerciorum ſecuritatem interturbavit: vt verè dici poſſit: *Tran-*

quil-

quillæ priùs explorant adversa rates, atq; ipsa pericula discunt.

Nunc itaq; probatâ S^æ R^æ M^tis innocentiâ, & Svecorum culpâ, per tot deductiones violationis Iuris Gentium & Pactorum Olivensium, ruptæ Pacis perpetuæ, repetitos sæpiùs vi armorum hostiles actus & conatus, nefaria tentamenta, & conspirationem in jugulum Libertatis Polonæ, & eversionem Statûs, opressam gravi tyrannide Nobilitatem Livoniæ, attentatam invasionem littorum Maris Balthici Iuri Reipublicæ subiectorum, raptas naves tam Illustrissimi Ducis Curlandiæ, quàm & Nobilitatis, armatâ classe interturbatam quotannis quietem, sequestratas naves, & subhastatas merces Polongam destinatas, dispersam Anglicanam societatem, violentô transitu peragratas Curlandiæ & Samogitiæ Terras, grassantibus & populabundis Copiis Militaribus sub Generali Svetico Horn, tributariam exactionem à Nobilitate Albæ Russiæ M D^us L^æ, tot tantaq; publica enormia damna, & præjudicia causata, tum novissimam infestationem Serenissimi Regis Daniæ & Norvegiæ Fæderati Regni Poloniæ, necnon gravem S^æ R^æ M^tis in Persona Ablegati sui læsionem, vltimariè lacessitas Copias Regias, & interturbatã securitatem Portûs Gedanensis, quisquis probè cognoverit, non ampliùs dubitabit, jurenè an in-

iuriâ S[a] R[a] M[tas] processerit: dùm sic coacta, irritata, & provocata iustè induit arma, inhærendoq; Pactis Conventis, & à nexu solennis Iuris-jurandi conscientiam suam eliberando, necessariò in Arenam descendit, & ex justis, legitimis ac relevantibus causis, Pace suspectâ tutius bellum sibi eligit. *Iustum scilicet est bellum, quibus necessarium; & pia arma, quibus nulla, nisi in armis salus relicta.*

Naturali quoq; Iure, vbi aut vis illata arcetur, aut ab eo, qui deliquit, pæna deposcitur, nulla requiritur denuntiatio. Affert justitia securitatem conscientiæ, tranquillatq; animum, cùm ad propulsandam vim, natura ipsa bellum indicere videatur, & si Pars vna Fædus violaverit, potest altera à Fædere discedere, & ex vi Pactorum Olivensium subitò ad arma recurrere. Ad hæc publicis Potestatibus, quibus defendendi & vlciscendi Ius competit, licet prævenire vim non præsentem, sed quæ à longè imminere videtur, incendiumq; potiùs in aliena Domo extinguere, quàm in propria opperiri, præsertim in talibus circumstantijs, vbi neq; vnius diei spatio, securum Pacis Regnum esse potest, & impendentem cervicibus hostem præ foribus stantem & minitantem, in singulas horas & momenta expavescere, & sub ipso Fortunæ minantis ictu, hostilem impetum

petum ſuſtinere cogitur: *Pejor videlicet eſt bellô Pax, quæ arcano vbere bella lactat*, tum quid inter apertum hoſtem, & inter eum, qui hoſtilia toties, immemor Divini humaniq; Iuris, agitaverit, interſit? nemo non videt. Neq; ab eo quietam vnquam fore Rempublicam, & aliquando deteriore conditione bella ſubituram.

Adhucnè exſpectaret S^a^ R^a^ M^tas^ Regni Provincijs hoſtium arbitrio expoſitis, vt rurſus invndatis in ipſa viſcera Exercitibus innocuam Rempublicam credentem Religioni Pactorum Olivenſium, ex inopinato obrueret, & per Polonos campos ferox hoſtis exſpatiaretur, ſedemq; belli in Polonia ſibi figeret, aut, vt priùs Fæderatum Regnum Daniæ, à fundamentis concuteret ac everteret, cum quo, eoſdem Amicos, eoſdem hoſtes ex nexu præfatæ Confæderationis S^æ^ R^æ^ M^ti^ Regnoq; Poloniæ, habere neceſſe eſt; & *qui non repellit injuriam à Socio, ſi poteſt, tàm eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Hinc fidem obligatam Colligato Regi & Regno Daniæ ex Pactis Conventis, ſolenni juramento ſuper manutenenda Fædera firmatis exſolvere incumbit S^æ^ R^æ^ M^ti^, & vinculatam eliberando conſcientiam contra Turbatorem Pacis Svecum ferrum expedire, arma capeſſere, & eouſq; proprijs viribus Diverſionem ſuſtinere, donec Reſpublica in proximis Comitiis

tijs Generalibus belli proſequendi rationes non inibit. Efflagitat id cura publicæ conſervationis, prævenire priùs Hoſtem, quàm ad Nos perveniat, bellumq; in eos ſumere, qui priores Pacem ruperint; exigit ſeras & ſerias vindicias toties concuſſa & exagitata Reſpublica; evincunt hunc zelum & ardorem Sæ Ræ Mtis oppreſſorum, & ſub gravi tyrannide gementium Livonum lachrymæ, quorum miſeram ſervitutem falsò Pacem vocamus; obligant Sanctæ Pactorum Leges, vt Provincia Livonica, cujus beneficio Svecia, propter rupturam Pacis & Fæderis excidit, ad primævum Corpus Reipublicæ redeat; expoſcit ipſa juſtitia, vt qui liberi fuerunt, ſuam recipiant libertatem, & hoſtili eximantur Imperio: neq; cunctationi locus eſt in hoc Conſilio, quod non poteſt laudari niſi per actum.

In fundamento itaq; præmiſſorum, ſolenniſſimam Sa Ra Mas Poloniæ Manifeſtationem coram Domino Exercituum DEO, Externis Regnis & Rebuſpublicis, vniverſa Chriſtianitate, ac præcipuè aſſumptam Generalem Gvarrantiam & evictionem Pactorum Olivenſium tuentibus Sereniſſimis Principibus ingeminat: ſe ad fortiora media & bellum gerendum ob ſuperiùs expreſſas rationes debitæ vltionis, & coactæ defenſionis, ſubitaneiq; ad arma recurſus ſtrin-

ſtringi & compelli, & horum omnium, quæ ex præſenti bello evenire poſſunt, innocuum fore, firmiterq; ſperat S^a R^a M^{tas} juſti & legitimi progreſsûs ſui à juſtis Arbitris approbationem: *Pro cauſa pugnantibus æqua, & veniam ſperare licet.*

Invocat proinde S^a R^a M^{tas} juſtum vltorem DEVM, fractorum Pactorum Vindicem, cujus in manibus ſita, cujus è digitis pendula omnis mortalium & Regnorum ſalus, vt ſuæ æquitati Divinâ ope aſſiſtat, & hunc gladium pro defenſione Iuſtitiæ ſtrictum ad gloriam Nominis ſui proſperet & benedicat, necnon Provinciam Livonicam Corpori Reipublicæ, vti à Cardinibus Regni illicitè avulſam reſtituat, multaſq; Myriades oppreſſorum, & quotidie pro eliberatione ſui ad cælum clamantium, poſt tot exantlatas ærumnas Divinâ conſoletur gratiâ, & tandem ſecuram, honeſtam, perpetuam, & inviolabilem ad nunquam deſiturum ævum Pacem & concordiam largiatur.

Recurrit quoq; S^a R^a M^{tas} Poloniæ, inſiſtendo ſæpe memoratis Pactis Olivenſibus tàm ad Antecedaneos Fæderatos & belli Socios, S^m $Cæſ^m$ M^{tem} & Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, quàm & perpetuum Evictorem & Tutorem eiuſdem Fæderis & Pacis Olivenſis Chriſtianiſſimam Galliarum M^{tem}, perq; omnia Sacra

Pactorum, ſtipulatæ defenſionis & fideiuſſionis obteſtatur; vt cùm res præſens maſculis conſiliis agenda, & ferro decidenda evenerit, examinatâ causâ & expenſis iuſtiſſimis S^æ^ R^æ^ M^tis^ rationibus, intra deſtinatum tempus coniunctis viribus contra Turbatorem Pacis Perpetuæ Svecum adeſſe, eundemq; pro communi hoſte reputare, iniuriaſq; S^æ^ R^æ^ M^tis^ & Regni Poloniæ tanquam ſuas proprias vindicare velint. Convenit id obligationi Pactorum, convenit iuſtitiæ, convenit excelſo animo altè memoratorum Fæderatorum ac Evictorum Pacis Olivenſis, nè differant vltionis ſententiam, quaſi iam, apud DEVM, omnis vindictæ ratio conquieverit: nec poſſe ſanctiùs & digniùs Nomini ſuo reſpondere, quàm ſi hoſtem Svecum vndiquaq; aggrediantur & perſequantur, & ita Poloniæ & Daniæ, arctè invicem à retroactis temporibus connexas rationes æſtiment, vt vna ſine altera ſubſiſtere nequeat, ac bona malaq; ad vtramq; Partem pertineant.

